

H. 114, 9.

(x 2000 664)



DE  
**NOMINE HENRICI**

ILLVSTRISSIMIS COMITIBVS RVTHENIS  
SOLENNI

EXERCITATIO  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

D O M I N O

**JOANNE GUILIELMO**  
DVCE SAXONIAE IVLIAE CLIVIAE

AC MONTIVM  
NEC NON ANGARIAE ET WESTPHALIAE  
ETC. ETC.

EX PERMISSV  
AMPLISSIMI COLLEGII PHILOSOPHICANA  
PVBLICO EXAMINI SVBMITTET  
PRÆSES

**M. HENR. SIGISM. MARQVARTVS**

SLAIZA-VARISCVS

RESPONDENTE

**DANIELE LANDROCKEN**

BREITENBRVNNA-MISNICO

MENSE MARTIO A. O. R. cIs I<sup>o</sup>c XC.

IENAE  
LITTERIS Io. ZACHAR. Nisi.



V I R O  
*PLVRIMVM REVERENDO ATQVE CLARISSIMO*  
**M. MICH. MARQVART.**  
P. L. C.  
ECCLESIAE SLAIZENSIS DIACONO  
VIGILANTISSIMO  
PARENTI MEO HONORATISSIMO  
HANC DISSERTATIVNCVLAM  
OBSERVANTIAE FILIALIS PIGNVS  
CVM VOTO  
VT DEV S  
QVAE ANNO SVPERIORI  
VVLCANVS  
CLAVDVS ALIAS FVRCIFER  
SED IN EXITIVM NOSTRVM AEQVE AC ALIORVM  
VELOCISSIMVS  
ABSVMSIT  
RESTITVAT  
TERRORESQUE TVNC INJECTOS  
GAVDIIS COMMVTET  
  
*DO DICO CONSECRÔ*  
**M. HENR. SIGISM. MARQVART.**





## I. N. I. C.

Circumspectanti mihi , vnde argumentum exercitationis palam edendæ adsciscerem, commodum polyhistor summus , Caspar Sagittarius , præceptor longe de me merentissimus, historiam patriam oggesit, atque, qui primas in ea sibi iure suo sumunt partes, illustrissimos Comites Ruthenos. In laudatissimorum enim horum Heroum historia ( quam non infeliciter texuit nobilissimus & historiarum studiis clarissimus vir , Petrus Becklerus , patronus meus optimus, in egregio opere germanico , quod inscribitur : ILLVSTRE STEMMA RVTHENICVM ) occurrere cum multa alia notatu dignissima, tum hoc vel maxime, quod iam ab aliquot seculis

culis nomine HENRICI ad vnum omnes adpellentur: neque etiam agnomen RVTHENI nihil habere, quod mereatur curatius expendi. Quæcum apud animum reputassem, existimavi illico, me operam non esse lusurum, si in istorum nominum originem ac natales, quoad quidem eius fieri potest, inquirerem, &, quæ apud scriptores huc spectantia habentur, in vicem speciminis academici constiparem sedulus. Quod autem cuncta vnius eiusque brevis, dissertationis ambitu concludi nequirent, lubuit in præsens saltem proponere, quæ circa nomen HENRICI noscuntur notabiliora: RVTHENI nomine alii, si quam indulserit DEVS, occasione seposito. Faxit ter vnum ter sanctum Numen, ut ne a tramite veritatis deuius in errorum præcipitia abripiar. Tu vero, humane lector, veniam habebis, sicubi expectationi tuæ tum ob ingenioli tenuitatem, tum ob spissam, cui hoc argumentum immersum est, caligineum, non vsquequaque satisfecero.

DE

S A



DE NOMINE  
HENRICI  
ILLVSTRISSIMIS COMITIBVS RVTHENIS  
SOLENNI  
EXERCITATIO.

I. *Quinam Rutheni?* II. *A multis seculis nomen Henrici ipsis solenne* III. *Causa huius in abdito. veterum Germanorum in annotandis rebus negligentia. hinc variæ de origine nominis Henriciani apud recentiores sententiae.* IV. *Peccensteinii recensetur.* V. *Notatur.* VI. *Alii a Bertha repetunt.* VII. *Inter hos Hammerus & Hermes VIII. Refelluntur.* verbis Pauli Langii nil iuuantur. obiter in illis aliquot menda indicantur. IX. *Henrico Aucupi auspicia huius nominis accepta ferri debere, vero simillimum.* Kranzius. Im Hoff's Notitia S. Rom. Imp. Procerum laudatur. X. *De Advocatorum dignitate. quæ illorum fuerint munia.* XI. *Viri duo clarissimi sententiae primordia nominis Henrici ab Henrico Aucupe arcessenti subscriptibunt.* XII. *Epilogus cum voto pro salute illusterrissima domus Ruthenicae fuso.*

§. I.

**R**utheni Plauienses ex antiquo Comitum Osterodanorum stemmate (quod luculente ac partite probauit Dominus Becklerus) prosati, diu Aduocatorum titulo gauisi sunt; hinc inter dynastas Imperii liberos, in Wetterauicorum tamen

A 3

Co.

Comitum ordine, itidem per longum tempus haberunt locum: donec elapsis aliquot abhinc annis, proxeneta quidem illustrissimo Henrico primo, iunioris linea Seniore, pristinæ Comitum dignitati postliminio restituerentur.

§. II. Omnibus huius familiæ Dominis per pluscula secula nomen Henrici solenne fuisse, apud omnes, qui non plane in vetere memoria peregrinantur, in confessio est. Primus enim, quem hoc nominis habuisse, & ad cæteros non interrupta serie transmisisse constat, vixit seculis post Christum natum decimo & vndecimo; quippe in huius demum quinto & quadragesimo anno diem suum obiit: vt indicat vir suo tantum, hoc est, cœmni adiectitio maiori nomine compellandus Fredericus Hortlederus in Genealogia Ruthenica, manu exarata.

§. III. Vnde nam autem illud acciderit, & quæ eius occcasio causaque fuerit; id vero denso sub caliginis peplo latet, quod nemo veterum hac de re quicquam pro eo, ac par erat, memoriarum prodiderit. Scilicet Maiores nostri, ut eleganter Lansius in *Oratione pro Germania* p.m. 112. ludit, non stylum sed pilum, non pennam sed bipennem versabant; id est, omnem in armis nullam in litteris operam ponebant. Inde factum, vt de quo non sicut ansa differendi, quæ in claustrorum retinaculis

lis delitescebat, rasæ illi & rudi cohorti, illud profundis defossum manserit tenebris. Quid ergo mirum, si de re a prærioribus silentio prætermissa, apud recentiores opinionum ac sententiarum diuergia deprehenduntur?

§. IV. Laurentius Peccenstein in *Theatro Saxonicō* p. 265. 266. ex relatu aliorum nomen Henrici ideo ab omnibus postea sic dictis Ruthenis usurpari cœpisse autumat, ne, quod aliquando usu venerit, obtentu huius nominis fraus ipsis strueretur. Verba eius latinitate donata ita se habent: *Qua de causa Domini isti (Rutheni) peræque omnes a multis seculis unico nomine Henrici insigniantur,* & ut a se inuicem discerri possint, iam ab ætate seniores, medii, iuniores; iam qua corporis staturam longi breues; iam a numero primi, secundi adpellentur; non uno modo narratur. Et optandum omnino esset, ut veteres solidiorem eius rei rationem litteris mandassent; quoniam autem id, quæ erat vel ruditas temporis, vel notitiae rerum germanicarum negletus, non fecere; nihil, credo, errauero, si hanc tunicam, uti quidem illam ex aliis accepi, adduxero. Nimirum dicunt, non nullis retro seculis aliquem de Plauia Dominum ex herico instinctu transmarinas petuisse oras, sed in prælio cum Saracenis commisso in Syria, cæso illo, post aliquot annos, utut nihil certi de eius morte adhuc allatum esset, impostorem forma, sermone & moribus ipsi similimum

limum illius personam mentitum prorupisse, ac varia  
et generis et aliorum edidisse documenta, ut louem iu-  
rasses lapidem, hunc esse verum, qui amissus credeba-  
tur, dominum, eoque ex facili impetrata territorii por-  
tione, duxisse vxorem et ex ea liberos suscepisse. Post  
autem, quam explorato per singularem DEI prouiden-  
tiam loco mortis et sepulturæ genuini Domini, adeo-  
que fraude detecta, sycophanta promeritas luisset pœ-  
nas, ceteros huius prosapiæ dominos in id consensisse, se  
de postero non nisi unico usuros nomine lustrico; et  
illud etiamnum in ista familia obtainere.

§. V. Verum haec sententia haut videtur se  
probabilitate vlla commendare: præterquam  
enim quod hoc modo strophæ nauci hominum,  
si nomen tale comminiscantur, elidi nequeant; et-  
iam multa alia in Peccensteinio reperias, quæ ca-  
stigari oporteat, quod celeberrimum Schurtzflei-  
schium alicubi de eo pronunciare memini.

§. VI. Alii, & quidem plerique, originem no-  
minis Henrici illustrissimis Comitibus Ruthenis  
familiaris arcessunt a Bertha, Henrici  $\kappa\alpha\tau'$   $\xi\chi\eta\eta$   
dicti diuitis, Domini a Plauia, uxore suauissima.  
Hanc enim per preces a Marito id consecutam  
perhibent, ut non solum quatuor, quos enixa erat,  
filii, verum etiam illorum posteri, si qui futuri es-  
sent, mellitissimo HENRICI nomine adpellaren-  
tur, quod istud & Imperator, Henricus scilicet VI.

Fri

Friderici I. Barbarossæ filius, proximo sanguine illi  
coniunctus, & ipse Coniux charissimus haberent.

§. VII. Ut ex multis, qui in hanc opinionem  
concedunt, duntaxat aliquos in medium adferam,  
Matthæus sane Hammerus in *Roseto historiarum*  
*c. VIII. p. 92. 93.* diserte: *Bertha*, ait, *ducis Carinthia*  
*filia & Imperatori Henrico VI.* (*M. Wolfgang Krug-  
ger in htistorica descriptione personarum illustrium p. 61.*  
*dicit Henricum IV.* quod ex transpositione numerorum  
facile fieri potuit) consanguinitate coniuncta, maritum  
Henricum, Dominum a Plauia, Dominum in VVeida,  
*Gera & Greiz* tam effictim amabat, ut singulari stu-  
dio hoc ab ipso rogaret, qui in honorem & memoriam  
semper perennaturam Imperatoris, sui ipsius, & qua-  
tuor filiorum constitueret, ut Rutheni ad ultimam us-  
que mundi halosin non alio, nisi Henrici nomine insi-  
gnirentur: cui petito etiam Coniux subscribebat anno  
*c. CCXCIV.* Tantum non eadem verba habet Her-  
mannus Hermes in fasciculo iuris publici Cap.  
XXXIV nisi quod, nescio cur, loco Henrici VI. po-  
nat Henricum VII.

§. VIII. Sed enim vero nec hæc sententia, vtut  
multum speciei illi sit adpietum, tanti est, ut me ad  
assensum permoveat: Plus certe famæ habet quam  
veri: id quod, opinor, quiuis, qui illam pensicula-  
tius intuebitur, deprehendet. Nam vt de eo nihil  
commemorem, quod diu ante Bertham nominis

B

Hen-

Henriciani usus inualuerit; in Pauli Langii, Benedictini olim in monasterio Bozoviensi prope Zizam Monachi, Chronico Zitizenensi, quod habetur *tomus 1. historicorum Germaniae Pistorii*, equidem dicitur, id nominis quatuor filiis Henrici diuitis impositum fuisse, sed qua ex causa illud factum sit, de eo nec vola ibi extat nec vestigium. Verba eius ad annum Domini cccxciii. hoc tenore fluunt: *Henricus nobilis Dominus de Vyda, uxorem habuit Berchtam Comitissam de Tyrol, quem peperit ei quatuor filios, qui omnes Henrici dicti sunt, quorum primus post eum sedet in Vyda, secundus in Groit sive Greitz dictus Henricus Reusse, tertius in Plauen, quartus in Gera.* Vbi in transcursu obseruari meretur, quod eruditus adnotante ad hunc locum supra laudato nec unquam tamen satis laudando Becklero, perperam Advocatus Greizensis Plauiensi anteponatur; item, quod graviter in Chronologiam pecetur, quando subnectitur, eundem Greicensem dictum fuisse Henricum Reuss: *Enim vero agnomen Rutheni Inngo tempore post familiae isti hærere cœpit, quod in peculiari dissertatiuncula, si DEUS vitam concederit, ad liquidum sum perductius.* Sed ad lineam. Cum itaque in aprico sit, Langium nullam de promissione rationem, cur quatuor isti Domini vocati fuerint Henrici; non inepte quis quæsiuerit, ex quo fonte ( si fingendi licentiam excludas

cludas) Hammerus, & qui cum illo faciunt, causam adductam deriuauerint?

§. IX. Vnde ergo primordia huius nominis tandem repetenda? Existimauerim (saluo tamen cuiusuis meliori iudicio) heic ad tempora illius, qui primus in Imperatorum classe nomen Henrici habuit, esse regrediendum, Henrici scilicet Aucupis: quem haut inerti depinxerunt, penicillo Io. Henricus Bœclerus, & Ioannes Conradus Dietericus, Viri doctissimi, & tum per Germaniam vniuersam, tum apud exteris gentes clarissimi. Hunc enim Henricum Aucupem terræ illi, quam cœnobio Quedlinburgensi subiecerat. & quæ deinceps tempore das Voigtland idiomate vernaculo ex iisdem adpellabatur, viros gente & gestis inclytos, ex quorum satu Rutheni prodiere, dubio procul propter inuictambellorum virtutem ut Aduocatos, quos germanice Boigte vocant, præfecisse, testis locupletissimus est Albertus Krantz, libro namque IX. Saxon. cap XXXIII. ita scribit: *Terra est Aduocatorum, non longe a Saxonia superiore; quam primus Henricus Romanorum Rex subiecit monasterio dominarum in Quedlinborg, constituens quatuor per terræ anguloo totidem Aduocatos nobiles, qui Barones dicuntur de VVida, de Gera, de Russe, de Plawe.* Et Wandaliae l. II. c. XXVII. Per eadem, inquit, tempora idem Henricus urbem, quæ Quedlinborg vocatur,

fundauit, in ea monasterium puellarum instituens: quod etiam grandi terrarum dominio locupletauit, donans tetram, quæ hodie dicitur Aduocatorum. Erant tum ministeriales monialium (qus nunc sunt Barones) quatuor: quorum hæc sunt nomina, de Gera, de VVida, de Plavis, de Rutze. Quamvis autem hæc distinctione non omnibus numeris absoluta sit, res tamen ipsa neutiquam reiicienda videtur. Mihi itaque vero per est simile, nomen Henrici ea fini Aduocatos sibi sumfisse, ut testificatum irent, Henricum I. Germaniæ Regem nomen & officium Aduocatorum non in ingratis contulisse. Videsis Iacobi Wilhelmi Im-Hoff eruditissimum tractatum, cui nomen claturam *Notitie S. Rom. Imp. Procerum*, indidit Libr. VI. Cap. XIV.

§. X. Neque enim vilis erat & contemnenda, quam Henricus Auceps ipsis aduoluerat, prouincia. Sane seculis vetustioribus Aduocati huiusmodi tanti æstimabantur, quanti quod maximi. In eo autem, teste Martino Magero in de *Aduocatia armata* volumine, illorum partes vertebantur potissimum, ut & bellum tempore concreditum sibi terræ tractum strenue defenderent, & quouis alio iudicia exercebant, lites dirimerent, & cuiuis suum æqua lance tribuerent. Sic, ut silentio alios premam, quos referre huc longa possem serie, si opus foret, Aduocatos Austriæ fuisse Comites Bambergenses, Albertum

bertum & Leopoldum, tradit Sigismundus a Birck  
cken in *Speculo honoris Austriaco* p. 160. Maxima  
proinde hac dignitate ab Henrico Aucupe dona-  
tos, quia nulla alia repoterant, usurpatione saltem  
nominis ipsi familiaris, gratos ac memores se vo-  
luisse præstare, credi non absurdum est.

§. XI. Atque heic mihi gratulor, me habere  
consentientes de republica litteraria meritissimos  
viros, videlicet maxime reuerendum Sagittarium  
nostrum & excellentissimum Kœberum. Ille in  
*Antiquitatibus Marchionatus Thuringici*, (quæ ut  
propediem lucem publicam adspiciant, omnes hi-  
storiarum amantes optant) hanc sententiam tue-  
tur: hic (cui vt omnem studiorum meorum ratio-  
nem, ita nonnulla huic commentationi inserta me  
debere gratissima erga venerandum olim præcep-  
torem animi mente profiteor) in *Schediasmate de*  
*Henrici nomine præcessæ Ruthenorum prosapiæ fami-*  
*liari*, anno ccccLXXVIII. publicato, opinioni a me  
probatae suum adiicit calculum. Non possum,  
quin verba ipsius elegantissima huc adscribam:  
*Nec forsan omnino aberrant a veritate*, qui ab Hen-  
rico Aucupe, laudatissimo Imperatore id nominis de-  
ducunt. Ab hoc quidpe Aduocatos esse primum in his  
territoriis constitutos Alb. Krantzus auctor est non prole-  
tarius cum Mattheo Dressero: neque vero quispiam te-  
mere alios nobis adpellauerit Aduocatos siue Voigtos

in hoc terrarum tractu preter illos, ex quorum prosapia Rutheni nostri felici derivatione descenderunt. Itaque in gratæ mentis temporis factum potuit esse, ut Aduocati hoc in primis nomen, quo gaudebat Imperator, sibi adsciscerent, imponerentque suis.

§. XII. Sed hæc sufficiat in præsenti pro tem-  
poris & viricularum ratione disseruisse.

DE

NOMINE HENRICI

ILLVSTRISSIMIS COMITIBVS RVTHENIS  
SOLENNI.

DEVS O. M. domum hanc illustrissi-  
mam seruet, omnia tristia ab ea auerruncet,  
illique ubertim largiatur omnia, que & fa-  
ciunt ad publicam uniuersorum salutem &  
priuatam singulorum felicitatem! Huius pii  
voti me damnatum iri, non tam spes  
quam fiducia meo insedit  
pectori.

EPI-

38

## EPIMETRA.

I.

Ioannis a VVowers Polymathia Casaubo-  
no per plagium subrepta sine fundamento  
solido dicitur.

II.

Quæ causa, cur Baronius in suis annalibus  
nunquam diserte nominet Centuriatores  
Magdeburgicos, quibus tamen præcipue  
illos opposuit?

III.

Bonorum librorum notitia bonæ eruditionis  
magna pars verissime censetur.

IV.

Huc multum faciunt Acta Eruditorum, le  
Journal des Scavans, les Nouvelles de la  
Republique des Lettres, la Bibliotheque  
universelle, Morhofi Polyhistor litterarius,  
& alia huius commatis scripta laudabili  
instituto edita.

V. Nil

Wg. 1114.94

v.

Nil absurdī dixit Paulūs Hachenbergius,  
quando dixit : vix quemque esse centesi-  
mum , qui iustum atque probum emble-  
ma componat ; immo vix quemque esse  
millesimum , qui de eo rectum verumque  
possit iudicium ferre.



1017

M.C.

h. 11419

DE  
NOMINE F.  
ILLVSTRISSIMIS COMI  
SOLEN  
EXERCIT  
RECTORE MAGNIF  
SERENISSIMO PRINCI  
D O M I  
JOANNE GV  
DVCE SAXONIAE IV  
AC MONT  
NEC NON ANGARIAE E  
ETC. ETC.  
EX PERM  
AMPLISSIMI COLLEGI  
PVBLICO EXAMINI  
P R A E S  
M. HENR. SIGISM. N  
SLAIZA-VAR  
RESPOND  
DANIELE LAN  
BREITENBRVNN  
MENSE MARTIO A.C.  
I ENA  
LITTERIS Io. Z

